

Vc
5098





h. 4,2.

Vc
5098

AD ILLUSTRISSIMUM CELSISSIMUM QVE

Principem ac Dominum

Dominum

JOHANNEM GEOR.

GIUM TERTIUM,

Ducem Saxonie, Juliæ, Cliviæ ac Montium,

Landgravium Thuringiæ, Marchionem Misniæ ac utriusqve

Lusatia, Comitem Marcæ & Ravenspurgi, Dynastam in Ravenstein.

ELECTORALIS DIGNITATIS HÆREDEM,

JUVENTUTIS GERMANICÆ PRINCIPEM,

Dominum suum clementissimum

Votiva Acclamatio

Qvo die

SERENISSIMO CELSITUDINIS EJUS PARENTI,

Serenissimo ac potentissimo Principi ac Domino,

Domino

JOHANNI GEOR.

GIO II.

Duci Saxonie, Juliæ, Cliviæ & Montium, S. R. I.

Præfecto Prætorio & Octoviro Electori, atq; in eodem, ubi Jus

Saxonicum viget, Vicario, Domino clementissimo,

Solenni homagio hic Dresdæ se obstringebant

Subditi


Subjectissimo studio concepta
ab

Illusterrimæ Celsitudinis Ejus Devotissimo

Christiano Augusto à Friesen.

• 6 • 6 • 6 • 6 • 6 • (O) • 6 • 6 • 6 • 6 • 6 • 6 •

Typis, Melchioris Bergen,





ILLVSTRISSIME AC CELSIS- SIME PRINCEPS DOMINE CLEMENTISSIME.



Vanqnam ne expendere qvidem qvis-
qvam , nedum deflere satis dignè
jacturam potuit, qvam , non dicam
ditionum harum Cives ac Subditi,
non Saxonia solùm Tua , Misniavè
ac cæteræ his connexæ Regiones, sed universum Imperi-
um Romanum , omnis deniqve Christianorum Respu-
blica fecit eo die , qvo seculi nostri Heros incomparabilis
atqve memoriæ excelsissimæ Avus Tuus, IOHANNES
GEORGIVS I. Elector Saxoniz laudatissimus, mortali-
tatem exuit & Terras reliquit ; videntur tamen haud inju-
riâ recreati à mœrore homines paulô maturius anxiam æ-
gritudinem posuisse , & lætas rursus protulisse acclamatio-
nes. Etenim qvem fidei acerrimum Defensorem , Ecclesiæ
Patronum Pientissimum , fulcrum Romani Imperij soli-
dissum omnes boni graviter dolebant , justissimum
Principem , Protectorem fortissimum lugebant Subditi ,
cundem in Successore gestientes agnoscunt, atqve in poste-
ris

ris felicitate qvādam singulari renasci & perennare lēti ad-
mirantur. Satis ille sibi, satis gloriæ suæ vixerat ; nunc
omnibus vitæ partibus summâ cum laude peractis, ex istis
mortalitatis miseriis & ancipite rerum humanarum muta-
bilitate sanctissimè decessit, postqvām supremum ac maxi-
mum beneficium, qvod Princeps conferre suis potest, præ-
sttit, bonum nempe Successorem. Augustus forsan aliquis
non charitate aut Reipubl : curâ adsciscet, ad qvem tran-
seat Imperium, & comparatione deterrimâ sibi gloriam
qværet ; Hunc si non contigisset nasci, sed legi oportuisset,
unus omnium votis destinaretur, in cuius humeros incli-
naret harum Regionum Salus æqvè sufficiens tanto oneri,
atq; Serenissimi Prædecessoris suffecisse sensimus. In Eum
ergò intuentes populi optimo jure se efferunt rursus, &
depositis, qvas mœror hactenus attulerat, fôrdibus, fulgere
denuò incipiunt. Qvod si enim ii, qvi ex diutinô squalo-
re ac profundis tenebris ægrè emersi, jucundissimum Solis
lumen intueri denuò cœperunt ; vel qvi de lento & diffi-
cili morbo vix eluctati ad pridem desveta munia redeunt,
mirificè gratulari sibi, & modis omnibus exultare solent : qvì
fieri potest, qvin incredibiliter gaudeant, & omnibus onustæ
lætitiis incedant subiectæ gentes, qvibus inductam obitu Se-
renissimi Electoris caliginem dispulit nova lux exorta Reipu-
blicæ, & noxias curarum nebulas benefico splendore dissipavit.
Extat jam tum in vultu cuiusq; hilaritatis publicæ
sensus

sensus, & in serenis frontibus gaudiorum indicia perleguntur.
Quin nec capit se amplius exundatis lœtitiae impetuosa multitudo, sed dedita pectorum latebras ingratulantium clamorem prorumpit. Quam latus enim hodie Populus novo se juramento ELECTORI obstrinxit? Quam alacri omnes animo renovarunt fidei sacramentum? Quam peculiare gaudium illorum fuit, quibus manibus SERENISSIMI PARENTIS Tui oscula figere, & recens hoc fastigium apud Eum, TEQUE pariter humillimâ veneratione prosequi licuit? Quæ cum omnia viderim atque audierim, ILLUSTRISSE PRINCEPS, non potui mihi temperare, quin inter istam acclamantium ac gratulantium amplissimam multitudinem & ipse aliquid conarer effari, & apud CELSITATEM TUAM pro æternitate hujus Regiminis, pro felicitate SERENISSIMI PARENTIS, proq[ue] SALUTE TUÆ vota quædam nuncuparem. Licet enim conscius mihi infirmitatis ingenitæ, & per pueritiam inchoati potius studii, quam climati, probè sentiam, à me orationem ejusmodi nec optari nec concipi posse, quæ dignam afferat aut temporis gratiam, aut materiæ copiam, aut tanto fastigio majestatem; fatus tamen indulgentiâ Tuâ, & excellenti animi benignitate, quæ una inter innumeræ virtutes maximè splendet, exhibere isthanc TIBI minus vereor, quod existimem Principes ipsos non tam accuratô & ambitiosô gratulantium sermone, quam simplici impolitôque, quippè quô nihil sincerius, aut magis devotum, impensis delectari. In quô quidem gratula-

siq[ue]z

B

tionis

tionis officio ad TUAM potissimum CELSITUDINEM sermo-
nem meum dirigere libuit, eo, quod eminentissimæ hujus Di-
gnitatis, in quâ PARENTEM Tuum jam cernis constitutum,
fructus & voluptas præcipue ad Te pertinet. Tu spes Impe-
rij, ac tantæ laudis & gloriæ Paternæ hæres existis: In TE om-
nium ora oculosque esse conversos vides: TE universos
intueri, tanquam publicæ felicitatis arrhabonem: Cujus si-
gna atque auguria non vana in vultu Tuô, in moribus, in pa-
ternâ affuetudine deprehendere se credunt. Nam quæ in
CELSITUDINE Tuâ, in hâc nondum pubertatem egressâ æta-
te elucet frontis Majestas, & arcanus lumen vigor, jam
tum longè latèque Principem cunctis ostentant. Jam quum
formam cæterorum membrorum & habitum prorsus de-
centem aspiciunt, quum vivacem nec venustissimo corpori
imparem indolem rimantur, faustissima quæque de Regimi-
ne olim Tuô, de futurorum temporum tranquillitate omina-
ri audent. Quæ profectò Tu non tam promittere olim, quam
statim præstare videris, quando expressum AVI PATRISQUE
simulacrum exhibere niteris. Ita in annis primoribus eru-
ptione virtutis tumens germen non lætius, quam uberius ap-
paret. Suprâ ætatem est, PRINCEPS CBLISSIME, illa, quam
præTe fers, gravitas morum, illa agilitas artuum, illa sensuum
judicijque celeritas, illæ animi corporisq; cæteræ dotes, quæ
teneris his & pubescentibus annis emicantes, nihil exile, nihil
depressum, aut summis Majoribus inferius anhelant. Scilicet
etiam rapi.

rapitur ad similitudinem suorum excellens quæque natura,
& avitæ paternæque laudis stimulis incensa rumpere festinat
in volucra infantiae, & contrâ rationem ætatis maximarum
rerum seriem confessim minatur. Ad quam naturæ excel-
lentiam quum non segnis virtutum opifex disciplina accedat,
non potest non eximium quid ac singulare existere. Enimve-
rò, an Disciplina melior aut efficacior ulla tradi potest, quam
quæ ex domesticarum virtutum rerumque gestarum exem-
plis petitur? An certior ulla spes æquiparandi PATRIS, quam
ubi sub eodem discendi Magistrò adolescas, quem nascendi
auctorem & propagatorem stemmatis revereare? Hoc igitur
TIBI maximè optandum & suprà invidiam benignitate Nu-
minis obtigit, nasci à maximò Principe ad successionem hono-
ris, & Ejusdem auctoritate, ad summæ fortunæ cultum cru-
diri: Nec erudiri solùm aut fingi monitis, sed exemplo incita-
ri & roborari. Boleslaus IV. Poloniæ Rex, Patris sui effigiem
è collo suspensam circumferebat, & ori admovens subinde
& deosculans dicere solebat: Prohibeat DEVS, ne quid indi-
gnum genere Majoribusque meis committam! TIBI quoq;
SERENISSIME PRINCEPS, Potentissimi GENITORIS TUI ima-
go, non illa quidē auro duntaxat fusa, aut adumbrata penicil-
lo, sed viva vidensq; & motu prudentis gubernationis nunc
maximè vigens ob oculos est, ad cuius pulcherrimam spe-
ciem ornes TEMET & componas, unde TIRI quod imitare
capias, hunc nobile inceptu, felix exitu, quod aggrediare,

transumas. Ab hujus contemplatione nihil deflectens, spe-
ctare poteris, quidquid præclarè geritur, quidquid in omnes
casus sapienter providetur: quod cùm ipsius amore magis
placebit, tūm æmulandi studio inolescet. Quæ quidem res
quantum momenti ad universam Rempublicam & incola-
mitatem statūs afferat, nemo aliud illustrius documentum ex-
hibuit, quām PATER TVVS SERENISSIMUS. Nam is ipse,
quūm in gremio SAPIENTISSIMI SENIS AVI TUI hauserit
regnandi disciplinam, & imbiberit prorsus, ita nunc admini-
strat Imperium, ac si per plurimos annos gubernacula Ejus
tenuisset. Ad litterat quippe semper actionibus Paternis, mul-
ta in medium consuluerat, haud pauciora exseqvutus erat,
perspexerat diu penitusq; quā prudentiā juxta ac fortitudine
aut servārit Rempublicam, aut sustentārit, quā curā Religio-
nem foverit, quā dignitate sacrum illum Ensem, qui non ma-
gis insigne imperii, quām hostium ulti fulsit, gestārit, quan-
tā auctoritate tot Imperialibus comitiis, tot Ordinum con-
ventibus interfuerit, sēpē etiam præfuerit, quantā cum gloriā
suis sēpiùs in Sacras Cæsarī vices succendentibus humeris in-
nixum Sacrosanctum imperium Romano-Germanicum su-
stinerit, quantas res bello confecrit, quibus pacis artibus
floruerit. Ita parendo & observando, quæ mox præcipere de-
beret, effecit, ut nihil discendum haberet tempore docendi.
Talibus institutis hōc interregni tempore in sinum suum con-
fugiens Romanum imperium sapientissimè nunc moderatur.

Vide-

Videbatur illud non aliter, quam solet terra ventis aut aquis
subter immisis, intervulsâ sui soliditate nutare, aut veluti na-
vis procellis quassata fractò malò scopulis allidi ac dissolvi mi-
natur; subductâ repente, qua sustentatum fuerat, dextrâ Im-
peratoris contremiscere ac penè considere: Ast postquam
Prudentia PRINCIPIS NOSTRI SERENISSIMI præcipitantem
Rempublicam refrenavit, & gubernacula fluitantia recepit,
omnibus certa spes salutis illuxit, desit tempestas, posuere se
venti, fugere nubes, fluctus resedérunt: Et sicubi adhuc in
longinquieribus Terris aliqua observatur obscuritas, aut resi-
duus undarum pulsus immurmurat, ante ejus nutus tamen
quoque dilucescet & silebit. Singulari profectò Sacri Nùmi-
nis providentia adscribendum est, quod adeò non ad ocium,
non ad remissionem & quietem, sed ad novas expeditiones,
imminentes civiles tumultus, impendentia bella, **ILLUSTRIS-**
SIMIS SAXONIBUS tradantur Electorales Fasces. Ut nempe,
sicut cœli marisq; temperiem turbines commandant, ita or-
nent & àugeant posteà pacis gratiam tumultus. Habet enim
has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex ad-
versis secunda noscantur. Cujus quidem rei, ne plurima in
medium, quæ à longâ temporum serie suppetunt exempla
commemorem, luctulentissimum modo AVI TUI BEATISSI-
MI sufficiat. Ut primùm Iste ante hos ipsos sex & quadragin-
ta annos Electoralem suscepit Purpuram, simul in Imperio
Germanorum Romano cœperunt turbari omnia, fluctuare,

MAST

C

con-

concuti: Cæsare inde periculis maximè gliscentibus defuncto, imperatoris partes Ei per interregnum Vicario traditæ sunt, eō Republicæ statu, ut, quæ tūm hominum formido, quæ Regionum fuerit trepidatio, quis orbis metus, quæ omnium confusio fuerit, verbis sese exprimere non posse confitentur temporum illorum conditores. Sanè id constanter asserunt, cujus Imperii ruinam homines metuebant, illud ne commotum quidem sensisse, tantamque unius *PRINCIPIS ILLUSTRISSIMI SAXONIS* Majestatem fuisse, ut nec bonis, neque contrà malos opus armis fuerit. Qvâ rerum facie *SERENISSIMUS PAREN'S* Vicariam Imperii administrationem vix dum aggressus sit, neminem, nisi prorsus in Germaniâ hospitem latere potest, scilicet haud minus terribili & penè desperata. Sed sperare tamen bene, imò securos esse circumspecta Principis Electoris Saxonis, Sacri Romani Imperij Vicarij prvidentia & servandæ publicæ quietis cura inestimabilis jubet. Horum igitur vestigijs si Celsitudo Tuainsistet, hæc si æmulabitur exempla, verè dignam se præparabit hoc apice Principalis dignitatis, in cuius spem succrescit, eundemque quem *PAREN'S ILLUSTRISSIMUS* jam reportat obsequii, pietatis & diligentiae gloriosissimum fructum olim feret. Atque hæc præcipuè gaudendi mihi ac bene ominandi causa, hinc & gratulationis meæ materia & tenor totius alloquutionis profluxit, undè quicquid optimum ac faustissimum est, magnitudine *PATRIS AD SERENITATEM*

TUAM

TuāM redundare arbitrabar. Evidem ingens fama , gran-
de decus, tanti Electoris , tot Regionum Domini filium esse ;
magna felicitas, tantæ hereditati, tam arduo rerum humana-
rum fastigio destinari : sed illa tamen major, ita primâ ab in-
fantiâ in Domo Regnatrice educari, sic à teneriori ætate ad
gubernandum institui, ut haud unquam impar amplissimæ
fortunæ deprehendaris. Habet hoc sanè purpura Electora-
lis, per se satis excelsum & prælustrem reddit Possessorem su-
um, & tantùm super altissimum Principum Ordinem attollit,
quantùm à privatis ipsi Principes recedere conantur ; atta-
men augustior multò & venerabilior illa omnibus appareat,
quando ab exultō egregijs virtutibus , pravarumqve cupidi-
tatum & potentiaē insolentis domitore ac frenatore animo
decoratur. In hōc veri honores , in quos nihil flammis, nihil
vetustati licet , cæteros mortales caducosqve titulos, &
quæ saxo strauntur monumenta, ipsam deniqve infinitam
potestatem demolitur & obscurat oblivio, negligit carpitqve
posteritas. Proinde macte hāc indole, CELSISSIME PRIN-
CEPS, hāc mente, macte hāc Paternarum laudum viâ; Di-
gnum Te Principe Christiano , dignum PARENTE, dignum
AVO, dignum MAJORIBUS Tuis, dignum TEIPSO, id est re-
ligiosum, pium, clementem, mansuetum, justum, constan-
tem, providum, fortem, moderatum præstare porrò enitere.
At vos subjectæ huic territorio gentes, intelligite bona vestra,
prædicare benignitatem Numinis, gaudete isthoc Imperio,

~~enim uox ibi non signatio mea~~ **C 2** ~~ibidem~~ cujus
20V

cujus auspicijs spes certa pacis, quietis perpetuæ, omnis denique prosperitatis refulget atque efflorescit ! O vos beatos, talibus Principibus ! O verè fortunatos ! Non ausint sese qvævis exterae Nationes, Regna, Provinciæ vobiscum conferre, quas vel belli mala vexant, vel domestica intemperies agitat, vel egestas annonæ premit, vel solicitude futuri anxias habet.

Vos autem Pietas & Amor, & circumspæcta ELECTORIS VESTRI cura, hostili metu vacuos reddit, discordiarum Civilium expertes, annonæ ubertate affluent, & qvod optabilissimum est, non incertum Successorem expectantes, sed PATER OPTIMO MAXIMO nihilo deteriorem PROLEM complexos. Sic fruimini quidem vos præsentium maximâ voluptate, sed ab blanditur jam venturi fides, superiorum faustitatem annorum præsumtione perpetuitatis exsuperans. Et quidni lætissima qvæque pollicetur acris & Religionis ac Republicæ provida Serenissimi Octoviri vigilantia ? Qui primum Principalium operum esse duxit, indicere ordinacionem & celebrationem conventū, per quem reducta in forum illa virtutum omnium Regina Justitia, Probitas, Fides, Modestia civitatibus redditæ vigerent in posterū, submota impietas, sepulta injustitia, luxus compressus & pravimores excinderentur. An verò non eadem, aut si fas est dicere, meliora ominatur concentus ille omnium laudum in JUNIORE PRINCIPE, Paternæ gloriæ simulacrum etiā ante pubertatem repræsentante ? Tum propter cœlestem in illos favorem, tam secura adipisci spes est, quam prompta optandi voluntas.

Vos

Vos modò pro ipsorum salute, in quâ vestra, vestrumque liberorum salus est, pro æternitate hujus Imperij pia vota concipite, & quibus gratulationibus Illustre hoc EORUM fastigium prosequuti estis, easdem usque ingeminate. Semper sese jaetet alacris vestra ac beata devotio, quâ felicem ELECTOREM, felices vos prædicastis. Perenne sit votum vestrum: SALUS PRINCIPIS! Audiantur semper illæ voces: Vivat felix Serenissimus ELECTOR JOHANNES GEORGIVS II. Vivat Pius! Vivat Justus! Vivat fortis! Vivat pacificus! Vivat JOHANNES GEORGIVS III. & in similitudinem Patris, in spem posteriorum sospes, florens virtutibus adolescat!

Ego quod in initio Orationis me facturum dixi, de votis, ardentibus, sed nudis precibus, purâ tamen mente divinam vencrabor Majestatem, ut POTENTISSIMUM ELECTOREM, SERENISSIMAM MATREM, AVI AMQVE TUAM, TEQVE CELSISSIME PRINCEPS, juxta cum PRINCIPALI DOMÔ UNIVERSA cā benignitate servet, quam excellentibus adversus Populum vestrum beneficiis, splendidissimis Virtutibus & præcipue Pictate vestrâ meremini.

Quamobrem Te Deus Deorum,
Domine Dominantium, Imperiorum
Dominus flinnonis Con-

Conditor & Conservator immortalis,
precor & obtestor, custodi, protege,
fospita Electorem nostrum, quem ad
gubernacula Statûs Tibi dilecti admo-
visti. Tuere Patrem Patriæ, cuius tute-
la & securitas Saluti ejus innititur.
Consilia ejus sapientissimâ mente gu-
berna, quô cogitationes omnes lætus
& prosper sequatur eventus. Dirige
actiones, ut æternâ laude florentem
virtutis suæ gloriam, aliis super alia o-
peribus augeat. Adde beneficiis tuis
perpetuitatem atque incrementum, &
præsentis Regiminis fortunam in ma-
jus provehe, invictôq; robore diutissi-
mè firma. Largire Domino nostro se-
ros in annos integras istas solidasq; vi-
res, hunc totius corporis vigorem, Li-
ceate ei non nisi ad summam senectutem

pro-

proiecto Reipublicæ regundæ onus
deponere, & mortalium statione tar-
dissimè decedentem, non alium succes-
forem quam, quem, dedit **O P T I M U M**
N A T U M, ejusque sanguinem relinquere!
Crescat hic interea in vires & virtu-
tes tantis rebus maturas, tanti que
Imperiī moli sustinendæ sufficienes!
Fiat, hoc Fiat! incolumi **C O N I U G E** **E L E-**
C T O R I S **n o s t r i**, **M A T R E** **P R I N C I P I S** **n o s t r i** Se-
renissimā, virente **S A X O N I C A** Domo uni-
versa, salva deniq; **R E P U B L I C A** & florente!

F I A T !



FKV 5098

Prolego Rerum aplice legumque Quies
debouere, & mortuum fessione car-
dinalium sedecimtum, non solum iusti-
tiam adiutum, dicitur debet. O salutem
Marianam, quae excepit et fecit. Vix
Grecas pugnare intenderunt, ut illas
superaret, et quoniam, tamen, fortius
conqueritur, non nisi haec
impensis. Nam haec
Hinc, postea per se, non est semper pugna
sed in longo tempore, et in multis
circumstantiis, et in diversis locis
et in diversis tempore, et in diversis
modis.

E A B



AC





WDM





h. 4,2.

Vc
5098

AD ILLUSTRISSIMUM CELSISSIMUM QVE
Principem ac Dominum
Dominum

JOHAN^N GEOR.

GIU

Ducem Saxonie^x

Landgravium Thu-
Lusatia^x, Cor-

ELECTORAL
JUVENTU

SERENISSIMO C
Serenissimo

JOHA

Duci Saxonie^x,
Præfecto Prætorio &
Saxonicum
Solenni ba

Illustriſimæ
Ch

••••••••••••••



BIBLIOTHECA
PONICAVIANA

